



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

De Sententiis Et Interlocvtionibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

PARS
XXXVI.DE SENTENTIIS
ET INTERLOCVTIONIBVS.ANNO
CHRISTI
1179

CAP. I.

*Alexander III. episcopo Norwicensi & abbati
de Euesham.*

SCRIPSIMVS vobis ad suggestionem H. clerici, vt causam inter ipsum & R. super capella N. diligentius audire debeatis, & sub certa forma terminare, omnino immemores existentes, quod eam prius aliis iudicibus commissimus, dilecti autem filii nostri S. & R. suis literis nobis intimarunt, quod ipsi prædictam causam sibi a nobis, appellatione remota, commissam, ordine iudiciario terminarent. Quare a prænominatis iudicibus veritatem studiosius inquiratis, & si noueritis eos super causa memorata definitam protulisse sententiam, nullatenus in causa ipsa procedatis: & si forte processistis, nec mandatum nostrum, nec factum vestrum volumus eorum sententiæ derogare. Sed vobis firmiter iniungimus, vt prænominato H. perpetuum super eadem causa auctoritate apostolica imponatis silentium.

CAP. II. *Idem eisdem.*

Cum aliquibus adiudicata est possessio, non sufficit eis pignora dari, nisi corporali gaudeant possessione.

CAP. III. *Item R. VVigorniensis episcopo.*

Causam quæ vertitur inter fratres Dunelmensis monasterii, & monachos sancti Albani super ecclesia de * Tene-<sup>* Tene-
muda</sup>, audiatis, & appellatione cessante terminetis, illud inter cetera specialiter prouisuri, vt fratres Dunelmensis ecclesiæ auctoritate & assensu episcopi causam ingrediantur, ne si fratres sancti Albani obtineant, episcopus Dunelmensis se abbatem illius ecclesiæ proponens, litem sopitam valeat suscitare.

CAP. IV.

Archidiaconis de ecclesiastica institutione non videtur

ANNO CHRISTI 1179.
licere, nisi auctoritas episcoporum & consensus accesserit, in alios sententiam promulgare.

CAP. V. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Cum aliqua causa, appellatione remota, committitur, & sententia fertur iniqua, eam euacuari oportet, nec debet ei stare, si manifestam contineat iniquitatem.

DE LEPROSIS.

PARS XXXVII.

CAP. I. *Idem.*

EX transmissa conuestione R. clerici nobis innotuit, quod cum ecclesia de N. a monachis, ad quos ius illius ecclesie spectare dinoscitur, ei concessa fuisset, tum temporis cum Vu. clericus, qui fuisse lepra tactus perhibetur, eam possideret, timens ne similiter eadem concessione, aliqua fieret innouatio, ad sedem apostolicam appellauit, & ad nos nuntium suum destinauit. Quoniam igitur vniuersis Dei fidelibus, & his maxime qui clericali dediti sunt officio, in suis iustitiis adesse tenemur, discretioni vestra, &c. quatenus si vobis ita constiterit, praescriptam ecclesiam praefato R. taliter concessam, & post appellationem ad nos factam super eadem ecclesia, in ea inueneritis alium institutum, eo inde amoto, eam ipsam, omni contradictione & appellatione cessante, iam dicto R. faciatis, dilatione postposita, assignari, non obstante quod eadem concessio facta fuerit tempore praedicti Vu. si ipsum praenominato morbo manifestum fuerit laborasse. Testes vero, quos idem R. vobis nominabit, moneatis attentius, & inducere laboretis, vt amore iustitiae, testimonium perhibeant veritati.

CAP. II. *Idem.*

Peruenit ad nos, quod cum hi, qui leprae morbum incurrun- <sup>3. q. 1. Vna-
quaque.</sup> t, de consuetudine generali a communione omnium separentur, & extra ciuitates & villas ad loca solitaria transferantur, nec vxores viros, nec viri vxores suastaliter aegrotantes sequantur, sed sine ipsis manere praesumant. Quoniam igitur, cum vir & vxor vna caro sint, nec debeat alter sine altero diutius esse: fraternitati tuae, &c.

Qqqq iij